

**05
A
2387**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-639050-p0002-5

DFG

13
95

Q. D. B. V.

THEMA POLITICUM

De

Summâ Poteſtate circa Religionem, PRÆSIDE

VIRO maximè Reverendo, Amplissimo Excellentissimoq;
Dn. MICHAELE WENDELERO,
S.S.Theol. Doct. & P.P.Extraordinario, Practicæq;
Philosophiæ Ordinario celeberrimo,
Dn. Præceptore, Hospite ac Promotore suo
summè venerando,
Ad diem XXII. Novembris
Publicæ literatorum disquïſitioni submittit
M. CHRISTIANUS Röhrenſee/

Ehrenberg. Misn.

VVittebergæ, Typis Johannis Haken.

M. DC. LXII.

95

Se. ch. 50





05 A 02387

 Vod in doméstico regimine obtinet munus familias Pater, ut moderetur prudenter familiarem rem, curâq; suâ ad consummatæ felicitatis evéchat fastigium; illud in publico civitatis corpore Princeps præstat. Publica ille persona est, suæq; commissum fidei habet commune bonum: qua propter publicè qvoq; curandum sibi, ac in communione, qvod usui sit, consulendum esse, deputat rectè. Ad similari DEO semet cum animo suo modestè considerat, gratus deprædicat: tribuere itaq; beneficia mortalibus, non eripere sua, divinæ ducit naturæ consensuaneum. Cùmq; superiorem, cuius coërcatur imperio, præter cœlestē NUMEN, agnoscat neminē, nullisq; contineatur legibus, positus ipse supra lèges, propriâ moderatione subjicit sese sanæ rationis dictamini, supremamq; sibi constituit legem REIPUBLICÆ SALUTEM. Hæc finis, hæc scopus nostro, cui attingendo intendit oculos & animum, atq; obtento eo, consistit, secumq; placidè moratur.

2. Cùm a. deprehendat prudentissimus rerum gubernator, pietate aduersus Deos sublatâ, fidem qvoq; ac societatem generis humani, ac unâ excellentissimam virtutem justitiam tolli protenus, Cic. I. de Nat. Deor. c. 2. primam impendit curam vinculo omnis societatis & justitiæ firmomento RELIGIONI. Proponit sibi illustre Numæ Pompilii exemplum, qui in id semper incubuit summoperè, ut, qvod vi & injuriâ occupaverat imperium, religione & justitiâ gubernaret, Flor. I. c. 2. Midamq; non malè religionibus

implevisse Phrygiām sentit, qvibūs tūtior ōmni vitā,
qvām armis, fuit. *Just. I. c. 7.* Altius perpendit rem, ac
Ethnicis tantoperē commendatas fuīsse diuinās res,
ingentesq; falsæ illius ac gentilis religionis vires mira-
tur tacitus, longè majores sibi suaq; Reipublicæ de-
verā promittit.

3. Ipse summus *Aristoteles*, recensens curas & ne-
gotia, qvæ Magistratui incumbunt, inter ea, ὁν ἀνδ
πόλις οὐκ ἀγένη, πρωτό ac palmarium facit τὴν πεῖται τὸ θεῖον
θημέλιαν, 2. *Pol. c. 8.* Præsertim a. cum Magistratus **cir-**
ca civitatis ordinationem occupetur, ac sit κύριον παρ-
ταχὺ τὸ πολιτευτικα τῆς πόλεως, 3. *Pol. c. 6.* ejus cura maxi-
mè se diffundere debet circa ea, sine qvibūs consistere
civitas nequit: qvod probè ponderarunt *Ægyptii*, qui
nunquam alium regem, qvām qui sacerdos eilet, ha-
bere voluerunt. Nec minor hāc in re *Persarum* in-
dustria fuit, qvibus nemo imperare potuit, nisi antea
Magorum disciplinam scientiamq; percepisset.

4. Nec ulli sanè hoc dubium esse potest, qvin tri-
buenda sit hæc cura S. Potestati, si adjungantur modò,
qvæ i. *Decon. c. ult.* habentur: τὰυτ' ἀργε καὶ ιδίᾳ καὶ δη-
μοσίᾳ τῷ βίῳ Δῆμοι ποτὶ πρέπει ἀγένη πάντας θεός
τε καὶ αὐθρώπους διποθλέτει. Unde colligimus, si Patrem=
familias, de quo h. l. sermo est, publicè ac privatim
respicere ad DEUM decet, adeoq; curare ea, qvibus
divinus absolvitur cultus, multò magis pertinebit il-
lud ad S. Magistratum, nec alteri subjici poterit hæc
summa circa sacra potestas, nisi duas summas in uno
populo Potestates agnoscere quis velit.

5. Et hinc videmus, qvōd non tantūm *pactorum*
atq; *conventionum* certarum tenore utaniur hoc jure

Summi

Summi Magistratus: ex qvo fonte, vi nempe *Transactio-*
nis Passavensis, cessisse illud Germaniae Principibus
Pontificii crepant: sed qvòd *vigore ipsius superiorita-*
tis territorialis, etiam sine pacto, jus circa sacra super-
eminenti competat Potestati, ac exerceatur. Defini-
tur Majestas per *Potestatem summam*: qvod ita propri-
um eidem est, ut citra destructionem ejus abesse planè
non possit. Nam in Accidentis definitione Forma lo-
cum Generis occupat, Materia Differentiæ: qvod ac-
curatè monet *Excell. Dn. D. PRÆSES in Pract. Philos. Cō-*
pendio, p. m. 106. Sicuti igitur multitudo Deorum est
nullitas Deorum; ita & multitudo S. Potestatum effi-
cit id, ut nulla videatur summa. Summum n. est u-
num primū indivisibile. Et hoc innuunt usitati Princi-
pum tituli, *Von Gottes gnaden / qvibus potentiam*
suam solius DEI, à qvo dependent immediate, subjic-
tiunt gratiæ. Summa a. non erit Potestas, si nullib[us] ex-
empta sit, ac in Republ suâ non possit omnia. Non au-
tem poterit omnia, si Religionis curam gerere non
potest. En contradictionem!

6. Fluit ab hoc immediate, positivis non subesse
legibus eminentes Potestates. Eo ipso n. qvo summus
aliqvis est, nec agnoscit superiorem, non est subiectus
legibus, qvæ aliæ supériores essent, aut S. Potestas si-
bi ipsi eas imponeret, qvod absurdum. Unde statim
conseqvitur, potestatem ferendi leges non competes-
re alii, qvam illi, qvi immunita legibus est. Obligatio
enim est de essentiâ legis, qvæ vix ac nevix obtineret
vím, nisi communicatam haberet auctoritatem ab eo,
qvi jubere & cogere potest. Jus a. illud sanciendarum
legum, qvis solis absolvit rebus dixerit? La-

tiūs sese extendit Majestatis objectum, qvām ut angustis hisce coarctari limitibus queat. Certè, qvicunqve & qvotqvot ad Civitatem pertinent, sive sint res, sive personæ, sive Clerici, sive Laici, sive nobiles, sive ignobiles, subjiciuntur ei, qvi in Civitate ubiqꝫ imperat, nec ab ejus potestate, nisi forsitan ipso consentiente & privilegia concedente, si suum in Rep. domicilium habere velint, eximi possunt.

7. Scilicet Majestas est *tetum aliquod aggregatum*, pluribus sui juribus, tanquam essentialibus partibus, constans, qvorum uno ablato, non amplius totum qvid, imò ne Majestas quidem est. Unde Magistratus, licet reliquias omnibus Majestatis juribus sit ornatus, si eo tamen, qvod circa religionem est, destruatur, amisit Majestatis titulum, cùm nec ubique in omnibus summam potestatem, nec totum habeat imperium. Nam aliquid datur, cui imperare nequit. Ipsa v. religio ac personæ religiosæ, si S. Potestati subjectæ non essent, tum aut ipsæ summam obtinerent potestatem, & sic duæ in unâ Rep. essent Majestates; aut aliud haberent extra Rempubl. cui se subjectos profiterentur: & sic peregrinus aliquis, qui extra Remp. est, habebit summam in Rep. potestatem, primariumqve Majestatis jus possidebit: qvæ omnia absurdissima sunt in Politico foro.

8. Ut verborum compendium fiat, in pauca contrahemus rem. Commissam Majestati esse summam Reipubl. curam, constat & ex superioribus, & finis eiusdem aperiè evincit. Qvo jure itaqve se jungitur illud, qvo sine finis obtineri decenter, conservariqve salubriter nequit, videre non possum. Religi-

ligionem a. firmatam bene coagulum civilis societatis , pacisqve publicæ fundamentum esse, tantum abest, ut negari à Christiano possit, ut vel Gentiles ipsi libenter concederint. Paucis : Cui concessa à DEO potestas & auctoritas est ; illi qvoqve denegata ista censenda non sunt, sine qvibus ad finem à DEO constitutum commodè pervenire nequit.

9. Quid plura ? Jure gentium Princeps omnes in suâ Republ. potestates obtinet, non secus, ac patriæ potestatis vi Pater in suâ familiâ. Quis a. tam absurdus erit, ut derogare Patri velit facultatem instruendi piè familiam suam, curandiq;, ut sincerus DEI cultus in domo suâ vigeat ? Opponeremus eidem & Aristotelis locum 1. Oecon.c. ult. supra citatum, & Patriarcharum exempla, qvibus nunquam fraudi suis legimus, qvòd pietatis exercitium in familiis suis promoverint. Exemplis qvoqve si res expedienda foret, produceremus piëntissimorum Imperatorum, qvibus maximè fuerunt curæ divinæ res, magnum catalogū. Memoraremus Constantimum M. laudaremus Theodosium, longeq; plurimum Justiniano ac Marciano sisteremus : qvanquam illud vix operæ pretium futurum, cum tantum non omnibus constet, in Capitulatione Cæsarâ ad hoc ipsum obligari Imperatores, daß sie die Christliche Kirche als derselben Advocaten in guten treulichen Schutz und Schirm halten wollen. Defensio verò Ecclesiæ non saltem consistit in externis fraudibus ac malis arcendis, prout contendit Bellarm. l.3. de membr. Eccl. milit. c. 18 sed etiam, ut purus sit religionis cultus, actutus Ecclesiæ status ab inimicis internis, qvibus, si obviari ire neglexerit, parùm suo satisfecisse officio putandus est Princeps. Arnis, de exent. Cler. c. 1. n. 4.

10.Ni.

10. Nihil nunc dicā de privatū personis, quæ ex Ecclesiæ fundatione, vel dotatione, jus quoddā in illā, vocādi scilicet ac præsentandi ministrum ordinandum, (quod Patronatus jus dici consuevit) sibi acquirant; ut adeò potiori jure Principi omnis in Ecclesiæ externa competere potestas videatur. Nec immorabor Jura torum effatis, qui religionis reformationem Superioritatis seqvelam indubitatō censem: quod nec ipsi Doctores Catholici inficiantur, statuentes, quod, cuius sit Regio, ejusdem sit etiam Religio, seu de religione dispositio. Joach. Steph. l. i. Inst. Jur. Can. c. 7. n. 32. Quo axiome nittitur etiam D. FERDINANDUS II. in Edicto von einziehung der Geistlichen Güter/ in quæst. ult.

11. Sed nec argumenta, ex S. literis petita, deficiunt, quibus sententia nostra abundè probatur. Illud cum primis utramque facere paginam videtur, quod commissa divinitus Magistratui divinarum legum custodia sit, Deut. 17, v. 18. eaq; non privata saltē ac personalis, sed publica præcipue ac officialis. Cū n. Magistratus custos sit utriusque Decalogi Tabula, Deut. 17, v. 19. Jos. i. v. 7. & 8. custodia a. respectu ceremonialium ac forensium legum intelligatur publica, consequens est, quod nec in moralibus alia intelligenda veniat; id quod etiam praxis piorum regum satis testatur. Hinc regi Joas in solenni inauguratione liber testimonii à Jojadā Pontifice traditus fuit, ut custodiam illius publicam sibi commendatam nesciret, 2 Reg. ii, v. 12. Nec aliud probant exempla Josuæ, c. 24, v. 1. & 14. Ezechiae, 2. Paral. 30, v. 1. & aliorum.

12. Et ab hoc sunt honorificentissimi tituli, quibus Principes mactat diuinum Numen. Eccl. n. vo-

can.

17401

cantur *Pastores* reges, *Ez. 44. v. 28.* *Jerem. 49. v. 19.*?
Quare iis tribuitur *Patris nomen*, *I. Sam. 12. v. 15.* ac *Nus-
tritii*, *Ez. 49. v. 23.*? Sanè, qvi officium horum profun-
diori æstimabit cogitatione, confitebitur ultrò, non
aliâ factum illud ex caussâ esse, qvàm ut regnantium
circa res sacras munus indigitaretur. Ire per exem-
pla prolixius, nec vacat, nec opus est: qyanqvam ab
ultimâ memoriâ arcessere eadem, non adeò opero-
sum foret. Nec inveniri qvenqvam posse confido, qvi
Moysi, primo Israëlitarum Duci, hoc summæ Potestatis
jus denegare temerè audeat, cum cogitabit secum,
non exstitisse alium, qvi ad divinorum oraculorum
observantiam revocaverit rudem populum, legum
omnium promulgator ipse atq; assertor, proculatiq;
divini cultûs acerrimus v index.

13. Subtiliter subtilis *Scaliger*: *Inveniunt etiam de-
formes buccæ suos basatores*: qvod haud injuriâ Papico-
lis applicamus, qvi, caligantes ad solem assertionis
nostræ, contrariæ subscribunt sententiæ, qvorum fun-
damenta facili operâ encervabimus. I. *Confundi hâc ra-
tione clamant potestatem Ecclesiasticam atq; Politicam*,
qvæ in uno eodemq; subiecto concurrere nequeat, nisi & ju-
ri divino, & nobis metipsis contradicere velimus. Sed vi-
deant boni viri, qvàm graviter hallucinentur, com-
mittentes pudendam *Elenchi ignorationem*. Enimverò
qvæstio nobis non est de potestate Ecclesiasticâ inter-
nâ, s. ministeriali; sed de potestate externâ, qvæ civiliter
& per vim *avaynas* exerceatur. Ordinat civilis Ma-
gistratus, externâq; suâ curâ & directione disponit, ad
Sacra qvæ pertinent: sed administrationem corundē,
divinorumq; mysteriorum *Oeconomia*, relinqvit Ec-
clesiæ

Ecclesiaz ministris. B. Gerhard. L. de Magistr. Pol. §. 177. Generico contactu amplectuntur se invicem , non specifico , nullaq; metuenda Ordinum confusio . dummodo distingvatur inter officium circa Ecclesiastica regium , & sacerdotale .

14. Obvertunt II. Cūm sublimius Ecclesiasticum regimen Politico sit , non citra injuriā eidem subjici . Resp. Peccari ex fallaciā à dicto secundū quid , ad dictā simpliciter . Superi⁹ Ecclesiaz ministeriū est civili Potestate in rebus spiritualibus , & qvoad munus proprium : subjicitur a. eidem qvoad politicas res ac facultates externas . Agnovit Aaron Moysen ut Dominum , Ex. 22. v. 23. Josua habebat jus in Sacerdotes : Nathani David imperavit : Christus ipse cū Apostolis obedientiam præstítit Politico Magistrati : qvæ omnia sententiam nostram luculentē confirmant .

15. Sed instat Bellarming III. Clericos pastorū officio fungi ; Politicos a. ovium occupare locum , Christumq; ipsum Ecclesiam suam non Tiberio , sed Petro Apostolo commisisse , cum dixerit Joh. 21, v. 15. Pasc e oves meas . Pastoris a. esse praeside re ovibus , non iisdem subjici . Resp. Totum negotium unicā expediri distinctione posse . Etenim sermo est optimo Salvatori non de pastoratu politico , qvi commendatus est civili Magistratui , sed de pastoratu Ecclesiastico s. ministeriali . Scilicet hoc simile non est extendendū ultra suum tertium , nec in omnibus , & politicis imprimis , dicendus ovis , qvi in spiritualibus ovis nomine venit . Davidem sisto , qvi , cūm moneretur de adulterio , ovis erat : cūm a. congregatis Levitis & viris Iuda fœderis arcā duceret , 2. Sam. 6. v. 4. pastoris officium faciebat . Unde patet , quām male hic titulus solis applic-

plicetur Clericis, cùm familiare admodum Scripturæ
sit, tribuere politicis Principibus pastoris nomen.
Qvamvis nec hoc dissimulandum, Christum homines
oves appellare, non respectu ministrorū Ecclesia, sed respe-
ctu sui ipsius, cuius propriæ oves sunt, pretioso ipius
sanguine mercatæ.

16. Nec IV. juvat adversarios, quando Episcopos
in primitivâ Ecclesiâ, absq; Imperatorum præscitu & con-
sensu, convocasse concilia; ipsos vero Imperatores successus
temporis semper ex Episcoporum sententiâ indixisse Synos-
dos probant: unde colligunt, Magistratui civili sa-
crorum curam nequaquam competere. Resp. enim
neg. Consequentiam, cùm ab illo Ecclesiæ statu, qvo pro-
prio suo Magistratu adhuc destituta erat, ad præsentem,
qvo Magistratum suum Christianum habet, non vale-
at argumentatio. Iniqvior erat Ethnica illa Maj-
estas, qvam ut æquum ab eâ judicium Ecclesiæ exspe-
ctandum esset: qvare ipsimet Episcopi suscepserunt Ec-
clesiæ curam, secuti in hoc Apostoli iuvationem 1. Cor.
6.v.i. & naturæ legem, qvæ custodiam sui in optimo
statu, quantum fieri potest, omnibus commendat. Les-
ges qvoq; ve, qvas tunc temporis tulit Ecclesia, non
tam Legum, qvam Canonū, nomine voluit exhibitas,
ut indicaret, non tam Superioris decreta, qvam con-
silia, esse, & omnem carum obligandi (si qvam habe-
rent) vim non ex humano imperio, sed quasi ex lege
naturali, per modū pacti, aut cōventionis, aut consen-
sus, obtinere. At in præsenti statu, qvo suū veneratur
Magistratū Ecclesia, res aliter habet, qvippe qui meritò,
& S. Potestatis vi obtinet ac exercet hoc regiū axioma.

17. Qvod Episcoporum consensum in cogendis Con-
ciliis attinet, salva res est, si distingvamus inter causam

principalem, qvæ, oblatâ occasione, cum auctoritate, decernere ac jubere potest; & à populi iuris, qvæ principali causæ occasionē præbet, petit ac svadet. Ut ut n. ex Episcoporū sententiâ indicta fuerint concilia; non tamen ad inductionem concurrerunt actu auctoritativo & jurisdictionali, quo Imperator; sed merè consultivo ac petitorio, quatenus ut Consiliarii Ecclesiastici necessitatem Synodorum Imperatorib⁹ exposuerunt. Nec, si Episcopos ipsos cœgisse concilia probarent adversarii, evinceretur aliud, quām jussio aliquā ὑπηρετική, seu promulgatio mandati superioris; non a. auctoratoꝝ. Hæc n. soli supremæ competit Potestati.

18. Sed quid moramur in vanis contradictientium diverticulis? Illud agendum potius, ut, quatenus ad Majestatem spectet Religionis cura, quāq; ratione in eā se gerat ipsa, exponamus. Nos, B. Himmelii in Syntagm. Disp. Theol. Disp. 29. secuti ductum, dupli cadeni includi classe commode posse arbitramur: ut ea scilicet procuret Magistratus, qvæ tūm ad veræ religionis ac recti cultūs propagationem & conservationem; tūm religionis collapsæ cultūs y, depravati restorationem faciunt.

19. Ad propagationē religionis reqvirimus. Ministeriū idoneorum cōstitutionē. Enimvero, cūm in internam Ecclesię potestatē sese nō citra πολύπεγμουm intromittat politicus Magistrat⁹, nec intra, sed extra Ecclesiā Episcopus sit; religio a. sine frequenti divini verbi prædicatione vix alias agat radices in mortalium animis, officii ratio omnino efflagitat, ut dignos ac fides Ecclesiæ ministros constituat Magistratus, qui intimum illa atq; diviniora current probè ac diligenter administrent.

20. Cætc.

20. Cæterum hic nobilis expediri quæstio solet :
An & quatenus Ministrorum vocatio ad solum spectet po-
liticum Magistratum? Nos dicimus 1. Vocationem Mi-
nistrorum non soli Magistratui, sed toti Ecclesiæ competere.
Etenim, non loquimur de vocatione immediatâ, quam
Deus citra intervenientē ullius hominis operā exer-
cet: sed de mediata, quā totius Ecclesiæ esse, evincimus
ex praxi primitivæ Ecclesiæ, Act. 1.v.23,c. 6 v.1, ut & e.14.
v.23 Triplici mēbro Ecclesia cōstat, Ecclesiastico, Politi-
co & Populari, quæ unū in Christo cōstituunt corp9. Nō
est Ecclesia, nec Dominus Ecclesiæ politica potestas,
sed membrum ejus, & æqvè per verbum regitur, ac a-
lli: unde nec solus curare potest, quæ totam concer-
nunt Ecclesiam. Ferendū in electione judiciū de Mini-
stri eruditione, de donis ejus ac vitâ: sed & hoc toti-
us Ecclesiæ est, eligendusq: ab omnibus, qvi animas
omnium curare debet.

21. Dicimus 2. curam vocationis ac directionem, ut
& confirmationem, spectare ad solam potestatem politicā,
tūm ratione personæ, tūm ratione officii. Ratione per-
sonæ, quia est præcipuum Ecclesiæ membrum: ratione
officii, quia Ecclesiæ nutritius & utriusq; tabulæ Deca-
logi custos divinitùs est constitutus. Hinc Salomon Sas-
cerdotes elegit ac Levitas, 2. Paral. 8. v.18. Sadocum-
que constituit summum Pontificem, loco Abijathari,
officio moti 1. Reg. 2. v. 35. Diverso propterea jure ac
modo ad totam pertinet Ecclesiam jus vocandi Mini-
stros. Ad Ecclesiasticum ordinem, qvoad examinati-
onem & ordinatiouem: ad populum, qvoad libera
suffragia: ad Magistratum v. qvoad jurisdictionem &
confirmationem.

22. Ad propagationem & conservationem religio-

nis referimus II. Legum Ecclesiasticarum præscriptionem,
non quidem carum, quæ internum DEI cultum respici-
unt, quem solus Deus in verbo suo præscribit; sed quæ
externum illius exercitiū & ἐν Χριστῷ sacram concer-
nunt. Dist. tamen inter potestatem ferendi leges absolu-
tam, & restrictam. Nec n. pro arbitrio leges ferre Ma-
gistratus debet; sed juxta rectam rationem & cum per-
petuâ ad voluntatem divinam reflexione. Rectè Au-
gust. 9. de Civ. DEI, inquit: Omnia legum inanis censura
est, nisi divina legis imaginem gerant. Caveat itaque Ma-
gistratus, ne præscribat leges cum officio Ecclesiastico
pugnantes, v. g. inhibendo Disputationes Theologiz-
cas, prohibendo liberiorem vitiorum taxationem, hæ-
resiumq; refutationem. Hoc enim est Spiritui Sancto
capistrum injicere.

23. Sed & illud secum cogitabit Magistratus, non
sibi soli incumbere legum Ecclesiasticarum lationem;
sed Ministerium Ecclesiasticum simul in consilium adhibe-
dum esse. Qvod si n. in scendis legibus circa civile
bonum non disponit pro libidine, sed adhibitis pru-
dentum consiliis; multò magis in iis, quæ Dei sunt,
non aliter, quam ex consilio Theologorum, & secun-
dum normam verbi divini immotam, disponere
debet. Et quia omnis mutatio periculosa est, cautè
procedat Princeps in ceremoniis Ecclesiasticis novis
vel substituendis, vel receptis mutandis; nec temerè
aliqd tentet, nisi gravissimam ac sufficientem naētus
caussam fuerit. Cæteroquin n. infirmis scandalum
darur, Magistratus ipse accusatur temeritatis, & ita Ec-
clesiæ ædificatio impeditur magis, quam promovetur.

24. Conservatiōni religionis inservit III. Templo-

rum

rum adificatio, & cum primis Scholarum erectio. Ex his
n. tanquam ex officinis quibusdam ac seminariis, pro-
deunt, quicunque Ecclesiæ & Reipubl. inserviunt,
quibus bene se habentibus, omnia in Republ. vigent
ac florent. Non a. satis est, si erigantur Scholæ, nisi
quodque dotentur ab eo, cuius auspiciis fundatæ sunt.
Hujusmodi n. redditus sunt quasi anima, qui reddunt
eas vivas, ita ut sine rerum subsidiis consistere neuti-
quam possint. Instituendæ quoq; à Magistratu fre-
quentes earum visitationes, exemplo *Samuelis 1. Sam.*
17. v. 16. & Josaphati, 2. Paral. 17. v. 7. ac inquiratur in
doctrinam ac vitam docentium ac discentium, qui, si
officium faciant, confirmandi, si exorbitent, corri-
gendi, ac in viam reducendi.

25. IV. ad religionis promotionem facit *legitima*
bonorum Ecclesiasticorum dispensatio. Et quoniam au-
rum habet Ecclesia, non ut servet, sed ut eroget & sub-
veniat in necessitatibus, ad sequentes potissimum usus
convertat Magistratus Ecclesiæ bona. 1. ad sustentatio-
nem eorum, qui Ecclesiæ & Scholis actu serviunt. 2.
ad subsidium eorum, qui Ecclesiæ suam consecrârunt
operam, pauperum scilicet Studiosorum. 3. ad ægrotos
rum, exulum, egenorum alimentationem, captivorumq;
redemptionem. 4. ad ædium sacrarum reparati-
onem & conservationem.

26. Sunt a. bona Ecclesiastica res commercio ho-
num exemptæ, ex quo sequitur, quod alienari ab homi-
nibus ac in privatum converti usum nequeant; quod etiā
à DEO prohibitum legimus *Levit. 23. v. 25.* & ratio in
promtu est, quia Ecclesiæ bonis spoliatas deserit con-
tingeret, cùm non suppetaret Ministris, quibus vitam
sustic-

sustinerent. Ipsi qvoqve Magistratus non Domini sunt illorum bonorum, sed nudi administratores & curatores, qvorum in potestate non est distrahere bona & abalienare. Non tamen hoc generaliter ac indifferenter intellectum volo, sed cum restrictione qvâdā. Subjecta scilicet alienationi sunt Ecclesiastica bona in casu necessitatis pariter & pietatis, qvo de vid. Theologi & Jcti. Quod si qvoq; ad impiū & superstitionis usum destinata sint bona, in alium usum meliorem & qvè pium, qvamvis profanum, non tamen privatum, licetè converti poterunt.

27. Tantum de iis, ad promotionem religionis qvę faciunt: dispiciendū nunc paucis, qvo pacto in iis se gerat Magistratus, qvx ad religionis collapsae restorationem pertinent. Si ergò veram in regione suâ religionem habet Magistratus, videat, ut illibatam eam conservet, nec permittat, ut immisceant sese vel heretici, vel schismatici, vel planè $\alpha\theta\epsilon\omega$. Qvia a, non omnes a pertè, sed quidam occultè instillant virus suum hominum animis, *inquisitione* opus est, ut protrahantur vulpeculæ. Protracti a, si sint seducti, rectius instruantur, si seductores, omnemq; respuant informationem, ejificantur, non tamen interficiantur, nisi sint blasphemii & seditiosi.

28. Cum a, contingat sèpè, ut occupaverit jam Rempubl. perniciosus error ac falsa religio, incumbit Magistratui, ut repurget Ecclesiam, nec permittat idololatricos cultus, cum veritate verbi divini pugnantes, exemplo Ezechiæ, 2. Reg. 18. v 4. Josiæ, 2. Reg. 23, v. 2, ac Imperatorum Christianorum, qui Ethnicam idolomaniam prorsus ex Imperio Romano exterminarunt.

glor

nârunt. Etsi a. Magistratus ad credendum cogere neminem possit ; cogere tamen potest ad *locomotivam vim*, ut audiant Subdit i doctrinam veram : potest promovere media , qvibus excitatur fides : potest impeditre scandala , publicumq; diversæ religionis exercitium. Et huc facit *Synodorum convocatio*, in qvibus dissensiones ac difficultates, circa religionem ortæ, discutiuntur, litibusq; ad divinorum oraculorum tenorem decisio, controversiæ sopiauntur.

29. Priusqvàm hinc abeamus, expendenda venit maximè vexata **controversia** , qvâ disceptatur, an & quatenus duas pluresve religiones tolerare Magistratus in Republ. debeat? Feliciùs, ut puto, hæc à nobis disputabuntur, qvàm proximè præcedentis seculi decursu factum : ubi non chartis, sed lacertis, non lingvâ, sed pugnâ, non argumentis, sed armamentis, non atramento, sed ferramentis negotium decidebatur , ac dissentientibus opponebatur Syllogismus ex quatuor terminis, igni, aquâ, ene & laqveo confectus; in quo mors ipsa ingrediebatur conclusionem. Quem ipsum tamen monstrorum Syllogismum fortius conclusisse, qvàm qui primè dicuntur figuræ, testantur *Vesperæ Siculæ, Nuptiæ Parisienses, ac tyrannica Hispanorum inquisitio.*

30. Nos operæ pretium ducimus , anteqvàm nostram exponamus sententiam , qvasdam præmittere distinctiones. (1) Igitur quæstio h.l. non instituitur de religione naturali, s. innatâ, qvæ ortum suum habet ex naturæ lumine ac præscripto rectæ rationis ; sed de religione acquisitâ, qvam iterum non accipimus pro exterrâ ceremoniarum curâ, sed pro interno Numinis cultu

~~et fide~~. (2) Dissensus religionis vel est *de fide*, vel *de rebus circa fidem*. *De fide* qui dissentunt, in ipso fundamento disconveniunt. *Qui in rebus circa fidem* dissidēt, directè non dissentunt in fundamento, sed tantum in quæstionibus aut ceremoniis: & hos salvâ tolerari cōscientiâ posse, persuademur dicto illo Paulino ex i. Cor. 3. v. 10. 11. 12. 13. (3) Dist. inter finem religionis principalem & minus principale s. secundarium. Quāqvā primarius religionis scopus sit æterna felicitas, negari tamē non potest, qvòd ab eâ terrena quoq; dependeat, licet consequenter & secundariò, teste ipso Paulo i. Tim. 4. v. 8.

31. (4) Quæstio vel est *de personarum diversè sentientium*, vel *de exercitii publici tolerantia*. Personas qvod attinet, in duplii iterum sunt differentiâ. Vel n. tantum sibi & privatim errant, vel simul suducunt alios ac turbas movent. Priores, cùm pacatè ac sine scandalo vivant, ac spes quædam future ipsorum conversionis affulgeat, tolerari possunt. Et ex hoc fundamento *Judæis* licentia vivendi in Rom. Imperio permittitur: posteriores v. quia pacem publicam turbant, ac simpliciores fallunt, sunt expellendi.

32. (5) Qvoad exercitium diversæ religionis publicum duplex rursus adhibenda distinctio. Vel n. 1. *Status Reipubl.* pacatus est ac tranquillus; vel turbulentus. Si hoc, aliqvid concedendum tempori est, ac toleranda peregrina religio. 2. *Vel Magistratus* habet liberam potestatem, vel restrictam. *Liber* est, qvando se nullis certis pactis aut conditionibus ad plurimum in suâ distinctione religionum tolerantiam adstrinxit, vel qvando vires ac nervos habet impediendi publicum exercitium, & resistentes coercendi. *Restricta* est, qvando potentia ejus vel per certa pacta & promissa, vel per statuum inferiorum jurisdictionem, quam sibi reservârunt,

vel

vel per aequalē diversā religionis subditorum potentia,
quando aequaliter fermè sunt divisi, ut una pars veræ,
altera fallæ adhæreat religioni, quodainmodo limita-
tur atq; constringitur.

33. (6) Dist. inter extirpationem hæresium simulta-
neam & successivam. Non uno eodemq; impetu Ma-
gistratus ejicere hæreticos debet, sed adhibere admo-
nitionum gradus, quibus si præbere aurem nolint, ac
in errore malitiosè ac pertinaciter perseverent, placi-
dè recedere jubeantur. Alias n. periculum esset, ne por-
rò turbent cum maximâ Rcip. pernicie (7) Per toleran-
tiam non intelligimus Syncretismum aliquem cum hæ-
reticis Ecclesiasticum, aut approbationem errorū ipso-
rum. Est enim contra conscientiam, veritatem agno-
scere & falsitatem approbare, imò hypocriseos ac
dissimilatōeis non levem habet speciem. Quæ omnia in
verbo DEI severè prohibentur, 2. Cor. 6. v. 16. 2. Joh. 10.
v. 11. sed civilem ac politicam cohabitationem & conver-
sationem, quam nusquam in sacris simpliciter interdi-
ctam legimus.

34. Quibus præmissis, dicimus, Magistratum Chri-
stianum potestatis liberae tempore pacato non nisi unam
veramq; religionem in Rep. suâ fovere actueri debere.
Probationem asserti nostri suppeditamus (1) à precepto
divino: Non habebis Deos alienos coram me: cuius ob-
servantia ut omnibus, ita civili Magistratui, tanquam
custodi utriusque tabulæ vel maximè commendata es-
se debet; quod sanè fieri non potest, si absque inevita-
bili necessitate plures admittat religiones. Accedit,
quod Spiritus S. hanc miscellæ religionis tolerantiam mirum
in modum improbet 2 Reg. 18. v. 21. (2) A debitâ Magistratûs pie-
tate. Nam si DEUM sincerè colere voluerit, exosam Deo re-
ligio

ligionem ferre nec potest, nec debet, nisi turpissimo saltu & contra conscientiam officii limites transilire velit.

35.(3) *Ab officio Magistratus.* Incumbit Magistratuī omnes præcludere dissensionum civilium vias. Si autē in religione nō convenient subditi, frusta id intenditur, cū dissensio in fide pariat animorum dissensum. (4) *ab imperantium securitate.* Nā dū qvisq; suā superstitionē observat religionē, dilabitur pauplatim ad impia contra Principem aut Remp. consilia. Cujus vel sola *Gallia* locuples esse testis potest. (5) *Ab Ecclesiæ unitate,* qvæ sub temerariā istā credendi quidvis libertate stare nequit, cùm dissensio in fide, nil nisi dissolutionem Ecclesiæ importet. (6) *ab exemplis,* de qvibus in §. 25.

36. Attamen, si religionis unitas in Rep. haberri planè nequeat, status præterea sit turbulentus, limitatamq; obtineat potestatem *Magistratus*, toleranda potius diversitas, qvām turbandum Statūs regimen. Sicut enim periti Medici in morbis gravioribus qvandoq; plus proficiunt qviescendo, qvām movendo & agendo: ita in hoc statu obtinet, ubi ex duobus malis minimum est eligendum, cùm præstet aliquam habere Remp. licet variis de religione dissidiis turbatam, qvām nullam. Qvod ipsum nec Salvatori displicet, uti colligimus ex Matth. 13. v. 29. Ferenda igitur sunt, qvæ mutari non possunt, instantiūq; precibus ac fideli instructione, leniq; poppyfmate svadenda, magis contumacibus animis, qvām cogenda religio.

Ad Eximum Dn. M. RESPONDENTEM, felicem Disputationis Autorem, Amicum meum.

Principis officium nobis exponis, Amice,

Circa divinum religionis opus.

Ædificat sacras ædes, vocatq; ministros,

Qui doceant recte dogmata clara DEI.

Convocat hic Synodos justas, tollatur ut error,

Et stent Scripturæ consona verba sacræ.

Hæc est summa tuæ theses, qvam sистis amicis,

Addat ut examen tota caterva suum.

Ipse mihi de te certè promittere possum,

Te qvosvis verbis vincere posse tuis.

PRÆSES.

0542387

ULB Halle

003 784 568

3



UDMA

BJ,



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt


urn:nbn:de:gbv:3:1-639050-p0024-7

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



95.
B. V.
LITICUM
Poteftate
gionem,
IDE
mplissimo Excellentissimoq;
WENDELERO,
raordinario, Practicæq;
rio celeberrimo,
te ac Promotore suo
rando,
Novembbris
vifitioni submittit
JS Röhrenſee/
Misn.
ohannis Haken.
XII.